



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

Jvdicivm De Libro Novo Anti-Decalogvs Theologico-Politicvs inscripto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

APPROBATIONES

Eximiorum Doctorum Alma & Celeberrime Univers. Coloniensis.

JUDICIUM DE LIBRO NOVO ANTI-DECALOGVS Theologico - Politicus in scripto.

Novus Theologus novus infernus, vetus est, & utinam non novum, verumque dictum! Cadit verò non in probæ vitæ, sanæque doctrinæ *Theologum*, qui inconcussæ *Decalogi* basi innixus, juxta & *Scripturæ*, & *Patrum* regulas, ea in lucem dogmata profert, quæ *lector* cœlum monstrant, & *factor* lucem perennem pollicentur. At in quemlibet *Theologastrum* quadrat, qui novitatis, vanique nominis, avidus, eas orbi Christiano super vitæ, ac morum compositione conceptas sententias in libris suis obtrudit, quæ præceptis *Decalogi* è diametro oppositæ, *lectorem*, *factorem*que à planâ cœli viâ in timendam orci abyssum præcipitant, eoque titulo non tam prælo, quàm Vulcano dignas reor.

reor. Sanè quid inter utrumque interfit, Ad-
modum Reverendus Pater LAURENTIUS à
DRIPT, Ordinis S. Benedicti infigne lumen,
per hunc suum *Anti-Decalogum Theologico-
Politicum*, uti multijugæ eruditionis & indu-
ltriæ, ita & hoc nomine nunquam satis lau-
datum opus, nervosè docet. Inspice, lector,
Patris *Lectoris* opus, lege, fat scio, mecum
senties, & sentiet, quicumque de novis dog-
matibus istis, à quibus castæ, & purgatæ au-
res abhorrent, rectè sentit. Inspice, ac lege
etiam Tu, Theologe, ac Tu Theologaster,
Authoriq; *Lectori* gratias uterque age. Uter-
que hîc, quod tibi scito opus, in opere præ-
claro, invenies: Tu, ut deinceps doceas, quæ
benè docuisti: Tu, ut dedoceas, quæ malè
docuisti. Ita sentiebam 21. Martij, die S. Pa-
triarchæ Benedicto sacrâ, Anno 1671.

*Wernerus Francken, SS. Theol. Doctor,
& Collegij ad SS. Apost. Decanus.*

)(5

Divo